

ad vicinum quendam vicum, sub ipsum tranquillæ noctis ingressum, directâ, non sine voluptate quadam nostrâ perciperemus, inconsueto vocis horrendæ fonitu canes omnes, qui plurimi ibi viciniae per hortos, villas & prædia suburbana quamplurima custodiæ causâ aluntur, ad latratum communiem exfuscitatos.

X. Dixi notanter, inconsueto vocis horrendæ fonitu; Tametsi enim articulata vox loquentium, ut aliàs, hoc etiam casu percipiatur, adeò tamen obtusa & horrifona (præfer- Phæn. V. tim extubis grandioribus ad aures audientium accidit, ut simile quidquam inter homines etiam clamorissimos haut facile audire contingat, mirumque haut sit, si (quod de Cardinale quodam Romano antehac narratum est) vox hujusmodi ad aures cujusdam hujus rei penitus ignari & in aperto liberoque campo constituti, subito allapsa, cœlestis potius ac divina, quàm humana, credatur.

XI. Efficaciam igitur hujus cupreæ tubæ hac primâ vice experti, cum hujus formæ & amplitudini potius, quàm materiæ, deberi facile judicarem, & hanc tamen nonnihil saltem ad vocis augmentum conferre crederemus; animum incessit lubido experiundi, an, & quantum augmentum capturæ essent voces per chartaceas hujusmodi tubas emissæ, eumque in finem ex chartis conglutinatis plurimis Phæn. VI. construximus tubam ejusdem prorsus & formæ & magnitudinis cum nostra cuprea, utpote quâ moduli loco utebamur, super quo chartas in eam formam conglutinare tantò comodiùs licebat. Hoc papyraceum organum cedebat e- quidem viribus suis illi cupreo, differentiâ tamen haut adeò ingenti; quin hujus operâ primo statim tentamine ex inter- vallo 300. passuum vulgarium submissè loquentium voces distinctissimè percipiebamus & paulò post ad plusquam mille passuum intercapedinem (longiùs enim excurrere vicina sylva vetabat) nos per cupream, alii per hanc papyra- ceam,